

De vita plantarum.

Ueberreuter
Vindobonae 1844

Signatur: 137535-B

Barcode: +Z157008907

Zitierlink: <http://data.onb.ac.at/ABO/%2BZ157008907>

Umfang: Bild 1 - 38


Nutzungsbedingungen

Bitte beachten Sie folgende Nutzungsbedingungen: Die Dateien werden Ihnen nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke zur Verfügung gestellt. Nehmen Sie keine automatisierten Abfragen vor. Nennen Sie die Österreichische Nationalbibliothek in Provenienzangaben. Bei der Weiterverwendung sind Sie selbst für die Einhaltung von Rechten Dritter, z.B. Urheberrechten, verantwortlich.

Hinweis: Das Dokument enthält hinterlegte Textdaten, die eine Suche in der Datei ermöglichen. Diese Textdaten wurden mit einem automatisierten OCR-Verfahren ermittelt und weisen Fehler auf.

137535-B

ALT-





137535 B


**DISSERTATIO
INAUGURALIS SISTENS
TRACTATUM
129. F. 355.
DE
VITA PLANTARUM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRASIDIS ET DIRECTORIS,
PERILLISTRIS AC SPECTABILIS
D O M I N I D E C A N I ,
nec non
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
P R O
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE AC LEGITIME OBTINENDA
in antiquissima ac celeberrima
UNIVERSITATE VINDOBONENSIS
publicae disquisitioni submittit
Ignatius Philippus Semmelweis,
Hungarus Budensis.**

In Theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus
die 2. mensis Martii, anni 1844.

—
C—O—D—I—F—I—L—L—E—C—O—
—

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.



De vita plantarum in genere.

Qui oculis tam grata arridet amoenus foliorum viror, flororum splendor et mira varietas; qui nares feriunt suavissimi odores, qui gustum demulcent dulcissimi sucii, quae corpus nostrum restaurant, morbos profligant, sanitatem reducunt—substantiae plantarum, e quibus animum poëtarum inspirat suavissimus Apollo; quam in iis sapiens miratur: summa formarum diversitas, ordinis uniformitas, artificiosa fabrica, miscela et motus multiplices, nec non cum macrocosmo commercium omnia haec sunt effectus unius vis, ejusdem vis, quae mineralia in crystallos cogit et dissolvit, quae aquarum moles in maribus volvit, quae terram concutit, hujus aheneam disrumpit crustam, fauces ejus ignivomas distendit aëres fulgure convellit, soles placide in orbita dicit, quae tandem hominem ipsum producit, innumeris, splendidissimisque facultatibus exornatum, et quam vim naturae — vitam — dicimus.

Hujus tamen causam quaerentes ultimam, frustra desudamus, desudabimusque.

Mens humana tamen non acquiescit, donec phaenomenorum omnium rationem reddat sufficientem, laeti ideo sequimur ideam, quam naturae philosophi hoc modo exponunt. Omne quod existit ex divino omnipotentiae spiritu emanat — ex vi naturae, quae semet solvendo ac uniendo, qua attractio et repulsio, contractio et expansio manifestat, continuo operatur, infinitam materierum diversitatem producit, quas iterum destruit, ut rursum nova entia inde generet, quae tandem serius aut oxyus ad supremam omnium scaturiginem reducit.

Vis et materia eodem gaudent fonte, una ab alia separari nequit. — Materia ex conflictu virium adtractivarum et repulsivarum resultat, quatenus in spatio comparent; omnis igitur materia proportioni virium productivarum adaequata sit, sicut ex universo vis qualitati materiae respondeat oportet. Quod ergo in plantarum organismo vim vitalem dicimus, nil aliud est, ac peculiaris modificatio vis naturae; haec vis vitalis in variis organis secundum variam eorum proprietatem vario modo manifestatur — peculiaris ergo vis non est, sed qualitas materiae organicæ, nec est proprie vis vitalis, quia per semet ipsam iners est, et potentissimis externis indiget, quibus ad reactionem provocatur. Sunt vero potentiae hæc: Calor, Lux, Aëris, Electricitas et Solum. — *Calorem* vitam plantarum excitare et fovere ex sequentibus patet: semen in frigore non germinat, gemma non evolvitur, plantae ejus influxui expositae cito moriuntur, e contrario cum calore increscente incrementat plantarum in - et extensio, uti hoc vegetatio sub tropis clare demonstrat. Ceterum gradus caloris, quem plantae exigunt: secundum variam earum speciem variat; sunt, quae non nisi sub syrio fervidissimo proveniunt, dum aliae regione frigidiori laetantur et sub ipsa nive florent. Imo diversae plantarum partes, diversam temperaturam exposcunt; sic scimus gemmas et flores frigoribus vernalibus non raro aduri, dum radices et trunci strenuissimæ resistunt brumæ. — Plantas autem vario caloris gradui adsuescere, ex exoticis nostro coelo acclimatisatis noscimus; immodicus tamen calor stimulo nimio vitam earum ita pessumdat, sicut omnis ejus defectus. — Vegetabilia etiam proprium calorem (internum) extricant, quo semet contra potentias nocivas immunes tuerintur, ita hyeme altiore, aestate inferiore, in penetralibus ostendunt temperaturam ac aëris atmosphaericus. — Plurimum caloris evolvunt floris tempore et in hocce ipso, qui non raro

pluribus gradibus illum atmosphaerae superat. — *Lucis* magnum in vegetabilia influxum quotidie observare possumus; evigilante sole evigilat plantarum regnum in novam quasi vitam, aperiuntur flores, folia elevantur, vires eriguntur, quae post ejus occasum relabuntur; multas plantas, flore, foliis et cormo motum solis prosequi videmus; arbores in medio sylvarum situati frondibus semet versus lucem elevant, dum in margine consistentes ramos in latus liberum protendunt; plantae in obscuro vegetantes semper in partem inclinantur e qua lucis radii incident; C. Blumenbach observavit, germen solani tuberosi in cellario 20 pedes versus fenestrulam, paucis radiis introitum concedentem, repisse. Ceterum intensitas lucis, quam variae plantae requirunt, tam diversa est, sicut caloris gradus, ejusque influxus immodeus eosdem producit effectus deleterios superstimulantes, uti calor. — *Aërem* vegetabilibus vitae pabulum esse, inde patet: quod vegetabilia respirent; ideo semen ejus orbatum influxu germinare non potest, et plantae in vacuo extinguntur. Aér in hoc sibi etiam magnam dignitatem vindicat, quod sit conductor caloris et humorum, e quibus planta nutritur. — Est vero oxygenium, quod in aëre summum exposcit respectum, quod proprio stimulo vitali gaudet; ideo semina in aëre aut aqua oxygenio abundante citius ad germinationem provocantur, ideo crebra terrae circa radices perfossio vegetationem promovet, et iterato aratu agros illam fertilitatem consequi, ac dum fimanatur, notum est; sed e contrario actio ejus immodeca superstimulando exhaustit vires. *Electricitatem* multum in vitam plantarum operari nullum est dubium, cuius influxus moderatus hanc, ut animalium vitam, extimulat, plus quam modicus enervat. Ex hoc fonte explicatur salubritas pluviae tempestatis tempore e caelo labentis; sub electricitatis influxu semina facilius germinare, ramulos citius gemmas evolvere, experimenta

comprobant. — *Solum*, quamvis maxime, ut plantae basin largiatur, destinatum videatur, tamen non parvum influxum in illius habet vegetationem, partim quia ceteras potentias vitales (aquam, aërem, calorem) in se continet; partim, quia materiis alilibus gaudet, quas planta sibi adsimilat; absque dubio electro-galvanicam tensionem cum radicibus fovendo, etiam dynamico agit modo. — Certas soli substantias plantas revera assimilare, jam diversus earum sapor et odor, secundum soli, in quo crescent, diversitatem prodit, et chemica analysis evincit. Quaedam plantae omni contentantur solo, quaedam peculiari ejus sorti adligantur, quaedam in diversis ejus speciebus vegetant, una aliave tamen magis laetantur. — Sic plantae ex classe Diadelphiae humum calcarea sulfurea mixtam amant, Boragineae solo Kali nitrico praegnante delectantur etc. — Summi momenti est humus in solo, quae maximam quantitatem materierum alibilium continet. — Fertilissimum censemur solum, quod ex adaequata proportione humi, argillae et calcareae emergit, quae postremae humores ex aëre adtrahunt et reservant.

Generatio seu Propagatio.

Plantae — animalium in modum — vel per generationem *heterogeneam* vel *homogeneam* oriuntur. — Priorem magna naturae curiosorum turma contra Ehrenberg principem oppugnantem, defendit, quam et quilibet attentus observator quotidie comprobandi occasionem reperiet, dum sub solo potentiarum generallium: aquae, aëris et caloris conflictu, materiam dictam Pristleyanam, *Confervas* certas *Lychenum*, *Muscorum* et *Fungorum* species oriri conspicit. — Neque rationi contradicit, imo ad illam configere jubemur, quomodo enim quarundam cryptogamarum e. g. *Ony-*

genae equinae, quae unice inter soleam et ungulam equorum reperitur, vel *Splachni sphaerici*, *tenuis*, *angustati mnioides*, quae excrementa certorum animalium obducunt. — *Sphaeriae purpureae* et *militaris* quae cadavera quorundam insectorum tegunt — imo non nullarum phanerogamarum, quae in locis et sub circumstantiis procrevere dum nullum semen illuc devehi potuit — ortum alias nobis explicabimus?!

Longe frequentius tamen plantae e individuis ejusdem speciei oriuntur, per *generationem homogeneam* seu *propagationem* dictam, quam iterum in *monogeneam* et *digeneam* distinguimus. *Generatione monogenea*, quin foecundatione opus sit, pars quaedam individui materni in sobolem evolvitur. — Huc spectat propagatio per gemmas, tubera, bulbos. — *Generatio digenea* mediante concursu sexus duplicitis, polaris, perficitur, quo vera gignuntur semina — quaedam utroque modo propagantur, ut id in arboribus nostris videmus. *Semen*, plantam in nodum contractam exhibit; perfectum integumento ex nucleo constat. — *Integumentum membrana* componitur dupli, quarum exterior chorion s. testa, interior endopleura s. nuclearium nominatur. Testa nunquam deest, formatur e cellulis, quibus subinde et vasa spiralia accidunt estque pororum expers; *Endopleura* crebro deficit, alias texturae est mere cellulosae. Ambae semini utiles evadunt, illud obvolvendo, partes interiores continendo ac muniendo. *Nucleus* embryone et albumine completur. *Embryo* rudimentum novae plantae repraesentat, est ideo maxime essentialis seminis pars, qui textu celluloso componitur, ac germinando primo vasa spiralia adquirit; distinguitur in corpus cotyledonum et blastema. *Blastema* duas offert particulas, quae gemmula et radicula dicuntur, ambae nodulo vitali seu indifferentiae junguntur, qui etiam cum cotyledonibus per vascula in nexu versatur organico. *Corpus cotyledoneum* in praeparationem nutrimenti pro

blastemate germinante destinatum , mox una , mox pluri-
bus constat partibus , hinc Botanicis momentum pree-
bet vegetabilia in mono - et dicotyledonea dispescendi.
Albumen pars seminis accidentalis , mox majori mox mi-
nor adest copia , mox pene deficit , et in relatione in-
versa ad embryonis versatur magnitudinem , ut hoc (in
Cucurbitaceis , Cruciatibus) maxime evoluto penitus ex-
terminatur; alias (in Gramineis , Scitamineis , Umbella-
tis , Liliaceis) supra illum longe dominetur.— *Albumen*
in cellulis amyelon , mucum , subinde et oleum pingue
continens , embryoni nutrimentum suppeditare videtur.

Processus germinationis.

Ut semen in plantam evolvi possit , primo ipsum
vitabilitate gaudeat — semina effoeta nunquam germi-
nare , experientia comprobat — ; dein , potentiss exci-
tantibus (luci , aëri , electrico , humoris) pateat . Quam-
diu hoc vitalitas in seminibus conservetur ? variat ;
sunt , quae hac facultate mox post maturationem exuun-
tur , dum in aliis multos tuerit per annos . — Priorem
experimur in Umbellatis , Saxifragis , Gentianeis —
posteriorem in seminibus amylosis — frumentis quorum
grana post saecula progerminasse feruntur . — Processus
ipse germinationis sequenti absolvitur modo : Embryo
per hylum seminis aquam adtrahit , quae hujus integu-
menta emollit , et in albumine contentas substantias re-
solvit ac diluit ; carbonium et azotum aëris atmosphae-
rici , per aquam absorpti , in penetralia seminis ve-
hantur , oxygenium vero illius pro parte carbonium
amylo exigit , cum eo acidi carbonici sub specie avo-
lando , dum alia hujus oxygenii pars cum reliquo albu-
minis jungitur , illudque in materiam saccharaceam trans-
mutat ; praeterea gas hoc cum ceteris potentiss stimu-
lantibus dynamico agit modo , seminis vitalitatem ex-
citando , processus dictos fovendo et urgendo . Eadem vero
ratione , qua cotyledones aqua praegnantur , et nisus evo-

lutionis in embryone excitatur, turgescunt semina, rumpuntur tandem ejus integumenta, quae officium suum completentia decidunt et exsiccantur, cotyledones vero nunc ab invicem discedunt, extricatur blastema, cuius radicula, quamcumque antea regionem respexit, ad radicem in terrae sinu vertitur (sive vi centripeta, sive proprio in ejus vita fundato nisu), in quam plures demittit fibrillas, quae rudimentum constituant novae radicis, gemmula vero per nisum lucem quaerendi, aut vim centrifugam determinata, minus rapide quidem, versus solem elevatur, huicque unum, duove expandit foliola. Cotyledones vel cum gemmula super terram extolluntur, vel infra ejus superficiem relictæ manent, eamque habent momentosam destinationem, ut pro planta infante succos crudos, quos tenera adsugit radicula digerant et assimilent, imo propriam ei substantiam in nutrimentum subministrent; illa vero adolescente, perfectis atque roboratis huic functioni dicatis organis cotyledones munere suo exuuntur, marcescunt — moriuntur. — Temporis spatium, quod semina in germinationem consumunt varium invenitur, secundum plantas unde repetuntur; sunt, quae cito germinant, uti Leguminosae, Gramina, Cruciferae, imo quaedam in ipso adhuc fructu hunc processum inchoant, de quo Rhizophora, Mangifera et Bulbine asiatica mira nobis exempla perhibent, dum alia per longius tempus se ad illum præparant, quemadmodum Umbellatae, Rosaceae, Proteae, quae ad duos subinde annos hoc opus extendunt. Ceterum hic lucis, caloris, electrici varius influxus nimiam modificationem exserit.

Gemmae, basi, integumento et rudimento rami constant. — Differunt a semine maxime eo, quod hoc vitam individui cum notis essentialibus etiam propagent. Evolutio gemmarum sequenti fit modo: luxuriante maxime vegetabili vita sub laeto aestatis regno vascula et cellulæ, in foliorum axillis ut plurimum, deponuntur, quae sub parvorum nodulorum specie comparent, ex his

rudimentum ramuli exsurgit, *axin* gemmae constituens, circa quam foliola (si gemma foliifera) aut petala (in gemma florifera) formantur, quae vario composita cernuntur, in determinatis tamen plantarum generibus certum observant typum (*phyllolopodium* Bot.) Notabiliter adultas illas (gemmas) reperiet avarus autumnus, et squamoso, ac resinoso munitos integumento frigida hyems, sub cuius duritie quiescunt, dum blandus ver eas ad novam vitam provocat; increcente succorum circulantium copia, placenta gemmae intumescit, squamæ, quae huic inseruntur ab invicem discedant opportet, quae cum nullum amplius scopum habeant exsiccatis eorum vasis nutrimento privantur, et tandem decidunt; dum interea ramulus cum flosculis aut foliolis liberatur, succis largius penetratur expanditurque soli.

Bulbus Monocotyledoncis proprius, gemmae ad normam *placenta*, *involucro* et *rudimento scapi* componitur, cui multum analogus, hanc tamen perfectione antecedit, semini jam proprius accedens. Differt bulbus a gemma maxime integumentis succosis, e quibus planta evolenda nutritur, quod gemmae, cum ab organismo materno non separatur, hicce subministrat. Basin bulbi s. placentam caudex nimium contractus sistit, qui inferne in radices, superne in scopum et folia exerescit; dum vero haec bulbo adscendunt in angulis squamarum novi generantur bulbilli, proles dicti, formationi gemmarum in foliorum axillis multum analogo modo, qui anno sequente in totidem nova evolvuntur individua. Bulbi communiter in terrae sinu ortum ducunt, verum et in axillis foliorum in quibusdam generantur plantis, quae inde viviparae dicuntur, uti in: *Dentaria bulbifera*, *saxifraga*, *bulbifera*, *Polygono viriparo*, *Poa bulbosa vivipara*; hi bulbilli, qui florum et seminum locum in his plantis tenent, perfectionem debitam assecuti, locum nativitatis sponte deserunt, ac in solum delati, metamorphorsin plantae inchoant cui originem debent.

Tubera, rhizocarpa seminibus proxime accedunt; constant *basi* et *gemma*. *Basis* corpus tuberis sistit textu celluloſo compositum, qui in gemmarum ambitu vasis spiralibus subregitur; amylo refertum cotyledonum ad instar gemmulam excrescentem nutrit. *Gemma* mox unica, mox majori numero basi insidet, quae ut blastema seminis cum radicula et plumula in plantam evolvitur. *Tubera* quoque quemadmodum bulbi sub terra oriuntur, sed non minus in foliorum axillis generantur.

Organologia.

Quantumlibet plantae miram multiplicatatem ac diversitatem in forma et structura exhibeant, tamen in elementa anatomica persecutae scrutatori nisi duo relinquunt organa primaria, e quorum compositione omnes exsurgunt plantae partes et omnis planta. Sunt: *textus cellulosus* et *vasa spiralia*; posteriora tamen nonnisi in plantis altioris vegetationis conspicuntur, in his autem aut regulari ordine dispescuntur, aut absque lege sparguntur. — Hunc constantem firmationis typum resipientes Phytologi vastum plantarum regnum in cellularis et vasculosas dividunt, posteriores vero (secundum regularem aut irregularem vasorum spiralium adgregationem) rursum in exogenas et endogenas. — *Textus cellulosus* e vesiculis, tenerima, diaphana, decolore membrana formatis, perfecte in semet clausis, ac nullo pro distinctis componitur, quarum forma — generalis — sphaeroidea est, quae tamen per diversam adgregationem, partium vicinarum pressionem in angularem, — cellulariem — mutatur. *Textus cellulosus* materiae protozoae analogus omnes plantarum constituit partes, diversam tamen in his exhibit speciem, regularis dodecaedri formae in *cortice medulla* et *foliis* reperitur; cellulis elongatis perpendiculariter sibi insistentibus in *libro*, *alburno* et *tigno* componitur, his parallele ad ho-

rizontem jacentibus constructus in exogenis inter *corticem* et *medullam* situatur; tandem omni regularitate de-stitutus, e cellulis imperfectis, dispersis consurgens in vegetabilibus infimi ordinis occurrit. — *Functio textus cellulosi* est: humores conducendi; quum vero parietes cellularum perfecte clausi sunt, succorum motus non nisi endosmoseos et exosmoseos ope locum habere potest, quo vesicularum permeabilitas et contractilitas suam symbolam confert; sed textus cellulosus etiam adsimilat, secernit, et secreta adservat, est ergo universim organon reproductionis. *Hujus loci sunt: cellulae aereue et vasa πνευματοφορα,* quae aërem atmosphaericum continent, et in variis plantis et variis rursum harum partibus inveniuntur, uti in Umbellatis, *Cicuta* in specie insigne exemplum exhibente.

Vasorum spirarium nomine canaliculi veniunt fibris argenteis spiraliter contortis compositi. — *Vasa spiralia*, quin dividantur aut inosculentur a radice ad apicem tendunt, ceterum non omnes hunc adsequuntur finem, verum in plantae partes laterales excurrentes hicce intereunt. — *Vasa spiralia* vegetabilibus anterioris ordinis propria sunt, quorum omnes subingrediuntur partes, *corticem* et *medullam* si excipias. Per aetatem aut pathologicam mutationem varias adquirunt formas, *vasorum moriliformium, annularium, scalarium* nomine a nonnullis Phytologis distinctas. — *Vasa spiralia* in plantis nervorum locum tenere, organaque irritabilitatis esse — ac fors sensibilitatis etiam — credimus, quorum influxu humorum circulus promovetur et processus vitalis urgetur; cuius opinionis verisimilitudinem illa evincunt: quod memorata organa nisi in vegetabilibus majoris perfectionis observentur, aut si in iis minorum ordinum occurrant, altioris dignitatis organa (*fructificationis scilicet*) provideant, nervorum animalium in modum decurrant, ac distribuantur.

Per cellularum et vasculorum diversam congregatiōnem varia formantur organa, inde composita; quālia sunt: *Epidermis* hae membranae textu celluloso ex succo constans omnes plantarum partes obducit — stigmate fors excepto, et isolatorem organici ab anorganico constituit. — In ejus externa superficie *poris*, *pilis*, *glandulis* insignit. — *Pori* cellularum terminatiōnes sunt, quae sub parvorum foramellorum, regulatōriter ordinatorum, aut irregulariter dispersorum, specie manifestantur; subinde annulis contractilibus cinguntur, quorum virtute diu et coelo sicco aperti, hoc vero pluvio, aut noctis tempore clausi observantur. — *Pori* ceterum non omnibus plantis sunt proprii, cellularibus continuo desunt, in vascularibus etiam in radice frustra quaeruntur, non secus in arborum truncis et ramis, desiderantur in partibus, quae aqua aut terra cinguntur, vel pilis obducuntur, carent pariter iis foliorum nervi, seminis testa, et cuticula fructuum succosorum; in Lichenibus et Fungis aliisque nonnullis nondum detecti sunt, largissime iis providentur plantae succosae et folia, harum comprimis pagina inferior. Usus eorum est: ut aëri in penetralia plantae ingressum indeque egressum concedant, humores adtrahant et exsudent, ut posteriora luculenter in Crassulaceis observamus. — *Pili* propagationes textus cellulosi filiformes sunt, quae in variis plantis, et variis harum partibus occurunt, caeterum sub diversis circumstantiis in his jam comparent, jam evanescunt, ideo essentiale functiōnem habere nequeunt; quoniam cum poris semper in relatione versentur inversa, et sub omnibus adjunctis magis evolvantur, sub quibus plantae plus humorū adtrahunt aut exhalant, huic operi sint destinati oportet; praeterea partes teneras obvolventes, hos ab injuriis externis defendunt, semina providentes, eorum dispersioni inserviunt.

Glandularum titulo phytologi cellulas insigniunt oleosis aut resinosis refertas substantiis, quae in quarumdam plantarum partibus oculo jam inermi sub punctulorum splendentium specie distinguuntur, et peculiaria secretionis organa esse videntur. Epidermis tandem vario notatur colore, vel variis obtegitur substantiis: pruina, glutine, visco — quae omnia producta sunt textus cellulosi infra positi, ac altius organisati.

Organa elementaria in multis exogenarum (arboreis) regulari quodam ordine in plura distincta componuntur strata, quae in *corticem*, *librum*, *alburnum*, *lignum* et *medullam* distinguimus. — Horum functio non alia, quam humores nutritios conducendi, assimilandi, ex his varias substantias secernendi et adservandi.

Substantiae secretae.

In enarratis organis variae reperiuntur substantiae, quae, quamvis docente chemica analysi ex quatuor simplicissimis elementis: oxygenio nempe, hydrogenio et carbonio, quibus quandoque et nitrogenium accedit, componantur, miram tamen diversitatem et multiplicitatem offerunt. — Sunt vero hae substantiae mox fluidae, aut molles, vel etiam semidurae; inter eas quaedam omnibus aut saltem plurimis convenient plantis, quales sunt: *mucus*, *gummi*, *amylon*, *saccharum*, *albumen*; aliae peculiaribus tantum sunt propriae generibus, imo speciebus, altius complicatae, atque e prioribus fontem repetentes, uti: *olea pingua*, *aetheraea*, *resinae*, *gumiresinae*, *balsama*, *pigmenta varia*, *principium amarum*, *tanninum*, *acida*, *alcaloidea*. — Substantiae anorganicae, quaedam metalla: *Silicium*, *Aluminum*, *Magnesium*, *Calcium*, *Ferrum*, *Cuprum* in statu oxydato aut salito; Alcalia: *Kali*, *Natron*; dein substantiae ametallicae: *Sulfur*, *Jodium*, *Phosphorus*,

quae in multis plantis reperiuntur, his minus genuinae sunt imo a multis phytologis ceu inquinamenta habentur, quae per processum vegetationis in penetralia rapiuntur, ibidem excernendae.

Nutritio et Reproductio.

A. *Organa reproductionis.*

Nutritionis principale organon *radix* est, quac ex terrae sinu nutrimentum haurit; inde planta omnium primo in perficienda radice occupatur. — *Radix* in plurimis adest vegetabilibus, sed sunt quaedam, quae illa tenerrima gaudent (*semperfivum*, *Cactus*), imo in quibusdam penitus desideratur, uti in *Acotyledonum* infimis (*Algis*, *Confervis*, *Lichenibus*), in quibus ergo aliae partes radicis munera exsequuntur. — In minus organisatis (*monocotyledoneis*) simplex observatur, dum in *dicotyledoneis* in truncum, ramos, fibras, fibrillas excrescit.

Radix ex cellulis et vasculis conflatur, quae in exogenis arborescentibus in corticem (*librum*, *alburnum*) lignum et non raro medullam rediguntur. *Radix*, cuius etiam sit speciei, fibrillis tenerrimis, radiculis dictis, nunquam caret, quae extremas illius diramationes sistunt, hae pilis iterum tenuissimis, aut spongiolis (*in monoc.*, *Najadibus*) obsidentur, quorum essentiam textus cellulosus subtilissimus constituit; horum ope planta aquam (*acido carbonio saturatam*) ex terra sugit, quae jam hic primam adsimulationem experitur, et dum porro per cellulam in cellulam transudat, ac ubique earum renisum vitalem experiatur, notabiliter plastica evaserit oportet, dum rhizoma ipsum subingreditur.

Verum non tantum absumptionis et primae adsimilations organon *radix* est, sed secernit etiam, ac secreta adservat, tandem plantam solo sigit; et sicut

ipsa truncum et folia nutrit, ab his nutritur reciproce.

Cormus pars centrifuga plantae, respectu structurae et functionis cum radice congruit; ad normam hujus vasis et cellulis in monocotyledoneis sparsis, in dicotyledoneis in memorata strata dispositis construitur.

Caudex in *monocotyledonibus* simplex in altum tendit, dum radix in eadem directione terram perfodit; in dicotyledoneis truncus in ramos multos expanditur, hunc nisum radix quoque manifestat; diramationes amborum in directione et extensione parallele progrediuntur — quamvis et hic natura variabilis nullam agnoscat legem, de quo *Glycyrhira*, *Rheum*, aut *Mandragora* quae indigentibus suis radicibus dimensiones cormorum longe superant, et *Crassulaceae* in quibus contrarium obtinet, nos edocent. Sed in functione quoque concordant, ambae hae plantarum partes: radix cormum nutrit, et radix cormo nutritur; plantas plures radice carere, aut hac tenerima provisas noscimus: in desertis Africae servidissimis succulentissimi crescunt *Cactus*, debilissima donati radice, qua vix in sabulo, cui atomus aqua exaruit, servari valent. — Omnes hos cormus nutrimento providet, quod ex aëris vaporibus haurit. Tandem experimenta Cel. *Harles* et *Agricola* nos docent: arborum frondes in terram defossas in radices, sicut radices in aërem levatas in frondes abire.

Folia organa elementaria in superficiem expansa, atque aëri et luci exposita offerunt; cellulae regulares *diachyma* foliorum constituunt, vasa spiralia vero diversimode diramata, regulares formant plexus, sub *costarum*, *venarum* et *nervorum* nomine notos. Folia in multis plantis desiderantur, vel ea gaudent specie, ut a cormo dignosci nequeant (*Cactus*); vel subinde immediate ex radice exsurgunt, unde liquet: omnes plantae partes sub certis circumstantiis invicem sup-

plete posse, cuius rationem simplicior ac uniformis earum structura continet.

Foliorum summa functio est respiratio, seu gasorum et vaporum absorbtio, horumque exhalatio, sed folia non minus humores alimentares insugunt, adsimilant, secernunt, et secreta adservant. — Quod folia has functiones nonnisi in aere oxygenio carbonio mixto, optime atmosphaerico, peragere valcent, experimenta Cel. Prystley, Sennebier et aliorum comprobarunt. Folia, caeterum vegeta, solis radiis illustrata oxygenium exhalant, acidum vero carbonicum absorbent; hac ratione succi plantarum crudiores superfluo liberantur oxygenio, carbogenium autem et hydrogenium adsimilantur, et sic humores magis evadunt plastici. — Contrarium processum folia in umbra fovent: adtrahunt videlicet oxygenium et carbonium acidum reddunt, hac ratione superfluum e penetralibus eliminatur carbogenium, et cum gas illud vitale stimuli in modum agat, vitalitas plantae excitatur, processus chemicus urgentur. — Plantae aegrae *Lichenes* et *Fungi*, omnibus sub adjunctis oxygenium absorbent et acidum carbonicum exspirant; caeterum huic functioni omnes illae favent circumstantiae, quae priori opponuntur. — Multum ex hac functione in universum etiam redundant macrocosmum: Oxygenium quod plantae sub sole exhalant magnos illos in rerum natura processus excitat, quos nemo non noscit, quod quamvis a plantis ipsis in umbra iterum adtrahatur, tamen exhibente sagacissimo Schulze hanc consumptionem magna superat copia. — Aliud, non minus grave foliorum officium est: in et exhalatio vaporum aquosorum, hoc igitur munere cum radicibus conspirant; humores carbonisatos adtrahendo, fontem nutritionis hac quoque via plantis suppeditant; folia imo sub certis adjunctis radicem supplerre possunt, quin, hanc ipsam nutrit, uti sub syrio ardente — sitiente ipsa Tellure — laetissima vegetatio,

aut plantae tenuissima provisae radicula (Crassulaceae), aut hac plane orbatae, uti mirabile *Acrides odoratum*, nobilia nobis specimina exhibent, quae unice ex rore vel aëris vaporibus per folia nutrimentum ducunt. Folia perspirant etiam aquam; nebulae e sylvis adsurgentes, et plures aliae observationes nos de eo certos reddunt; exsudatur autem per haec organa maxima quantitas aquae, quae per radices insugitur; in illa vero ratione, qua aqua dissipatur, humores plastici carbonio ditiores fiunt magisque concentrantur, et in peculiaria abeunt producta, quae sub secretorum nomine jam ex parte noscimus, partim in sequentibus cognoscemus. — In ultimis duabus functionibus grati naturam vereamur oportet, quibus summum benefiorum in acceptis debemus: pluvias et fontes! Quae foliorum superficies inspirationi, quae exspirationi inserviat? Observationes a Bonnet, Duhamel, Guettardi evincere conantur, priorem inferiori, posteriorem superiori adtribuendam facie, — quae si etiam subinde poris destituantur, tamen membranatam functionem, endosmoseos et exosmoseos ope perficiendam, non impediunt, cum cellularum parietes tenuerrima formentur membrana. Tandem folia varias substantias, oleosas, aethereas, resinosas etc. secernunt et adservant, inter has notari meretur: pigmentum vivide, *chlorophyllum* dictum, quod folia amoeno eorum virore exornat, et fons evadit splendidissimorum colorum, quos in corollis admiremur.

B. *Processus adsimilationis.*

Aqua, acido carbonico impraegnata simplicissimum plantarum nutrimentum est, quae per subtilissimos radiculorum tubulos aut papillas insugitur, ubi jam primam adsimilationem organicam experitur; sic per cellulam cellulae communicata, omnes plantae partes transudando permigrat, ubique renisum illarum vitalem ex-

peritur, sicque magis magisque adsimilatur, donec tandem in foliis summam illam mutationem patiatur, qua in *cambium*, humorem alibilem plasticum — sanguinem plantae, si velis — transmutatur, qui per eosdem canaliculos variis tamen probabiliter temporibus descendit; ex hoc dein diversa organa proprium sibi nutrimentum seligunt, semet restaurant et crescunt. — *Gaisiformes* principium odorum constituunt, in vapores olea aetherea extenduntur, vel aqua (quemadmodum sub perspirationis processu) resolvitur; fluidae, molles et semidurae vero in penetralibus figuntur, ubi mox distinctae in propriis adservantur vasculis (uti e praecedentibus notum), mox absque lege commixtae ubique reperiuntur locorum.

Substantias has sub secretis cognovimus; usus earum ille videtur, ut plantae alimento ab extus deficiente (senio provectae) in nutrimentum inserviant (quemadmodum animalibus adeps), caeterum absque dubio et alios macrocosmi fines habent.

Memorabilem naturae observatores fecere detectionem: perfectionem recensitarum substantiarum cum organisatione plantarum pari ingredi passu, ut quae inferiorum ordinum producta simpliciora ferant, quo magis vero ad altioris vegetationis dignitatem elevantur, viribus majoribus instruuntur, materias quoque multum compositas, differentes, genuinas, propignent; sic *Lichenes*, *Algae*, *Musci* et *Fungi* non ultra mucum producent, *Gramineae* sub ipsis etiam tropis vix amyllum et saccharum elaborant, quae jam in *Palmis* oleosis locupletantur, dum dicotyledoneae plurimis materiis specificis, oleis aethereis, balsamis, resinis, alcaloidibus etc. superbunt. — Caeterum processus iste chimico-vitalis in plantis nunquam non mutatur, sic secundum variam earum aetatem variis scatent substantiis, tenellae aliis, aliis dum flore ornantur, aliis dum semina ferunt; sic anni periodi, sic diei tempus, calor, lux,

electricitas in eorum miscelam alterando influunt, de quo plures loquuntur observationes: ita Cel. Hayne tradit *Bryophyllum calycinum* in India vegetans, mane acido, vespere amaro gustum adficere, dum sub meridie sapore careat; idem probat colorum in certis plantis mutatio: *Hibiscus mutabilis* flores mane candidos exhibet, die adolescente carneos offert, et illo senescente roseis superbit — flores *Gladioli versicoloris* sub aurora bruneo tincti, intus flavo picti, per diem ita alterantur ut ad vesperum nobili azureo resplendant. — Non aliud odoris mutabilitas in pluribus plantis patefacit: *Pelargonium triste*, *Hesperis tristis*, *mirabilis Jalappa* et *longiflora* tantum noctu redolent; in aliis odor per spatia adest iterum evanescit, sic *Lotus Jacobaeus* sole collustratus septies de die odorem spargit, tempore intercalari omni destitutus.

Incrementum plantarum, cum earum organisatio simplex, facilius absolvitur sunt, quae rapide increscunt, ut hoc in annuis comprimis intueri possumus, quae paucarum intra hebdomadum spatium ad plures extendunt pedes, *Verbasco* et *Cicuta* testibus; aliae minus quidem festinant, sed in multos progrediendo annos, notabilem altitudinem et crassitatem adsequuntur; in priorem *endogenae* semet elevare amant, ut quaedam *Calamorum* species mirabili nobis exemplo comprobant, quae subinde ad 600 pedes versus coelum adsurgunt, his accedunt *Ficus pyrifera* cum 370', *Araucaria excelsa* cum 220', *Ceroxylon andicola* 180', *Areca oleracea* 170', dimensione in altum — *exogenae* se in latum pandere proferunt. *Adansoniaram digitatarum* ad flumen Senegal crescentium truncus 34' in diametro, 107' in peripheria emetitur, frondes hujus arboris circulum 160' formant, in altum tamen non ultra 70' ascendunt; *Aloe dichotoma* ad 400' ambitum ramos extendit. Ceterum et in nostra zona stupenda hujus generis inveniemus exempla: *Keith quercum* vidit 78' in

peripheria, 26' in diametro exhibentem, R a y aliam describit ad 130' altam , 30' crassam. Memorabile hujus loci phaenomenon nobis *Corypha umbraculifera* offert, quae quatuor ante florem ferendum mensibus, 45 viciis plus increvit, quam sub pari temporis spatio in praeterlapsis 35 annis.

Reproductio in plantis ad summum evolvitur gradum, cuius rationem simplicior earum formationis typus includit, unde **reproductio** plantarum suprema functio, in cuius gratiam et vegetabilia nominantur. Adtente observantibus multa obveniunt exempla, quomodo una plantae pars transformetur in aliam, sic *calyces* metamorphosin corollarum induunt, *parapetala stamina et pistilla* in *petala* abeunt, sicut haec in illa mutantur, sic et *gemma*, ex *ramulo* hortulani integrum educant plantam, imo ex uno simplici foliolo omnes plantae evolvuntur partes; mirandum sane nobis hic exemplum largitur *Verea pinnata*, cuius folium in terrae superficiem depositum multam copiam nervorum individuorum progenerat. Ceterum non omnia vegetabilia pari ratione hac donantur proprietate, ut quo altius organisa-ta (arbores) facilius reproducantur ac inferiora (cujus contrarium in animalibus experimur).

Fructificatio.

A. *Organa fructificationis.*

Plantae, plasticae formationis curriculum emensae tandem in altioris vitae speciem caput extollunt, dum florem generant. Flos provocatur praeponderantia dynamis potentiarum formantium, praecipue lucis, super materiale substratum formationis, ideo sub αὐθεοι plasticitas recedit, dum vita plantae ad altiorem gradum evehitur. Flos est summus evolutionis gradus, cum eo plantae vita peripherica exauriatur et ad primam contractam suam originem (ad semen) reducitur. Et

revera quanti flos sit operis adtenti in plantis observabimus, quae, quo perfectiori gaudent organismo, eo majore indigent tempore ut ex tenerimo fine sublimem producant generationis adparatum; sic plures arbores in hoc opus multos scimus consumere annos. *Borossus flabelliformis* post 35 annorum spatium florem generat, sed cum eo supremum simul attigit diem. — Plantae inferiores — cellulosa — flore nunquam inclarescunt, agamæ hinc compellatae.

Flos componitur *calyce*, *corolla*, *receptaculo* et *adparatu fructificationis*: posteriores partes ad fructificationem absolute necessariae sunt, quare et essentiales nominantur, priores jam adsunt, jam desiderantur, ideo accidentales dicuntur, idem de nectariis et parapetalis valet. — *Calyx*. Structura et functione a folio non differt, forma multiplici ludit, colore communiter viridi indutus, subinde et alio superbit, nonnunquam corollae vices tenet, Calyx florem aestivantem obvolvit et defendit, huic nutrimentum largitur. — *Corolla* subtilissimam structuram vegetabilem exhibet; a calyce hæ ipsa, sicut variabili et frequenter splendidissimo suo *caleore* ac *odore* distinguitur, quibus insignibus altiorem suam vitam et destinationem simul manifestat; color, quo corolla insignitur jam ad omnes generationes transit non alterandus; jam in progenie variat, ut nobis flores nostri hortenses, in specie autem *Georgia variabilis* multa specimina perhibent, quin imo sub ipsa inflorescentia mutatur, ut supra alio loco de *Oenothera mollissima* et *grandiflora*, *Hibisco mutabili*, *Gladiolo versicolore* notavimus.

Odor florum iisdem substantiis debetur, e quibus alias resinae et olea aetherea componuntur, et quae (ex Hydrogenio, Carbonio et Azoto, varia proportione mixtis) in gas extensae extricantur, vel ipsis olei aetherei vaporibus in gratiam referuntur. — Ceterum non omnes floris partes aequali proportione hac proprietate dis-

tingunntur, jam peripheriam tenentes (*Rosa*), jam centrum occupantes (*Cactus grandiflorus*) de illa magis participant. Flores nonnulli tantum sub die redolent, alii tantum noctu odores spargunt (ad hos pertinent: *Pelargonium triste*, *Hesperis tristis*); alii odorem per certa diei spatia manifestant, uti hoc de *Loto Jacobaeo* alio loco notavimus.— Quae odores attinent, rationem sufficientem in chemismo vitali reperiunt, cooperante cumprimis *calore*, uti hoc plantae sub tropis provenientes, aromatibus scatentes, comprobant; minore lucis influxu, nam plantae in alpibus crescentes, quamvis intensae expositae luci, sicut illae Zonarum frigidarum omni fere destituuntur odore, dum contra flores in umbra adservati tam bene oleant, quam qui sole collustrantur (*Narcissus*).— Spectato odorum principio chimico facile innotescit, cur flores, in cubiculis adservati, asthma, vertiginem, apoplexiā provocare valeant. Idem pro fonte agnoscant: atmosphaera inflammabilis (*Dictamni albi*), et phosphorescentia nonnullarum plantarum, uti in *Tropaeolo majori*, *Lilio bulbifero* et *caledonico*, *Tagete patula* et *erecta* observatur, et quae in *Clavaria phosphorea Sowerby* (*Rhizomorpha subcorticali Pers.*) tam est insignis, ut in fodinarum locis, in quibus reperitur, lampadem superfluam reddat. Corolla ad plantam id utilitatis habet, ut partes nobilissimas, fructificationi proprie dicatas ante et sub foecundatione defendat; colore et odore suo fors insecta caprificantia adlicit, praeterea staminibus subinde basin largitur, nec non perispermium componit. — *Parapetala* et *Nectaria* foliola sunt inter corollam et stamina situata; diversi coloris et formae. Secundum eorum praesentiae inconstantiam et non cognoscenda functione, functione, spectata insuper frequenti eorum et petalis, staminibus aut pistillis metamorphosi pro mero plasticitatis lusu habenda. *Glandulae*

strictius *nectariferue* cellulis compositae ac in penetrabilibus floris residentes mucum oxydatum — *mel* s. *nectar* secernunt, qui in *Musa paradisiaca*, *Hoya carnosa* (*Asclepias carnosa*, L.), *Agave lurida* et *americana* tanta copia deponitur, ut in terram destillet, caeterum in diversis plantis varii reperitur odoris ac saporis, imo et venenatae indolis ut hoc de *Bromo terrestri*, *Aconito*, *Napello* et *Paulinia australi* nobis refertur. Glandulae nect. perfectioni succorum foecundantium inserviunt, dum secretis magis oxydatis, phlogiston liberius reddunt. C. Sprengel et Wildenow nectare insecta caprificantia adlici existimant, veroque cum entusiasmo hic loci divinam sapientiam depredicant, quae tali ratione foecundationem in quibusdam plantis absolvat. Absque dubio in alios quoque naturae fines contribuunt. — *Receptaculum* s. *thorus*, seu *thalamus* nil aliud est. quam incrassatus et in latum diductus pedunculi terminus, qui florem et fructum gestat.

Organa fructificationis in masculina — *stamina* — et foeminina — *pistilla* — discedunt. Stamina *filamento* et *anthera* constant, vasculisque spiralibus, textu celluloso obvolutis construuntur. — *Filamenta* antheram gerunt, communiter filiformia, diversa tamen notantur figura et forma, subinde et desiderantur; frequentissime pistillum circumdant. Antherae e regula de duobus folliculis locularibus sibi adjacentibus junguntur pollinis adservationi destinati, et jam in flore aestivante perfecte formati sunt. In externa superficie sutura notantur, mox ad apicem, mox ad basin, mox in latere folliculi situata, quae ceterum in quibusdam plantarum speciebus semper in eodem loco occurrit, in his antherae pollen editurae rumpuntur, alias valvula aut calypti elastica aperienda. — *Pollen* pulvis foecundans est; prima sua origine materiam semifluidam

exhibit, quae serius densatur ac in sphaerulas concrescit, quae jam majores, jam visu armato vix distinguendae, coloris communiter flavi, raro violacei (*in Epi-lolio*) aut rubri (*Tulipa*), jam perfecte rotundae, jam angulosae, jam distinctae, jam confertae, sub microscopio membranula tenui — utriculo — constare videntur, et in hac contenta substantia unguinosa — *fovilla* in aquis non, in oleis vero solubili in qua infinitae moventur molleculae — granula spermatica, aliis animalcula seminalia. — *Pistillum* organon conceptioni ac seminum evolutioni destinatum, centrum floris tenet, ac in ovarium, stylum et stigma distinguitur. — *Ovarium* seu *carpellum* est infima pistilli pars, pedunculo insidens, cavum in interno exhibens, subinde in plures loculos per dissepimenta divisum. Construitur tela cellulosa, quam vasa spiralia ex pedunculo adsurgentia permeant, quae in dissepimentis aut ovarii parietibus concentrantur, suturas formando, vel in axi hujus organi in columellam concrescunt. Ovarium ovula continet, quorum formationi ac evolutioni destinatum est; hinc animalium ovarium et uterus repraesentat. *Ovula* rudimenta seminum sistunt, quae tenerarum, humore limpido repletarum vesicularum sub specie manifestantur, et ope contextus vasculosi, quem in semine *funiculum umbilicale* dicimus, cum suturis in ovarii parietibus et dissepimentis, aut columella — quae spatia in fructu *placentae* nominantur — junguntur, per hunc ipsum nutrimentum ex ovario haurientes. In ovulis, adtente examinantes, rudimenta omnium partium detegemus, quibus semen gaudet, et quae ante florum expansionem jam formatae sunt. — *Stylus* stigma gestat; cum filamentis plurimum congruit, eadem gaudet textura, similibus quoque ceteris corporeis qualitatibus (figura, forma substantia) notatur; ceterum crebro deficit, unde organon accidentale. *Stylus* frequentissime cylin-

drum solidum sistit, subinde et cavum, ad ovarium tamen semper paeclusum, vasa ejus spiralia in placentas usque propagantur, hinc in immediata cum ovulis versantur communitate, quibus pollen conducunt. *Stigma* stylo, hoc autem deficiente germini immediate insidet, nunquam non adest quamvis insolita larvata forma visum effugere possit; in *Lobelii indusio* ante pubertatem velata conspicitur, in ceteris nuda creditur, superficies ejus spongiolis, liquorem glutinosum — *gynizum* — secernentibus instruitur, quibus fovillam pollinarem insugit. Forma ejus est varia, numero semper cum ovarii loculis correspondet. — Quae descripsimus fructificationis organa, complurimum in eodem flore copulantur — *monoclines*, — nonnunquam tamen mares a femellis separati distinctis includuntur corollis — *dyclines*, — qui mox sibi vicini in uno resident plantarum individuo — *monoecia* — jam in duo distribuuntur, ejusdem speciei, — *dioecia*, — jam cum hermafroditis in eadem miscentur planta. Ceterum hermafroditismum, ceu typum in regno plantarum statuisse naturam arbitramur; nam: sub certis tempestatibus influxibus, scilicet: extremis lucis et humiditatis, unum genus ab alio separari, masculinum in foemininum converti et contrarie immutari posse observamus; sic *Myristica moschata* quam Cel. Mauz observavit, uno anno meros masculos, altero meros foemineos produxit flores sic Du Petit, Thouars et Cel. De Candolle antheras certo casu, ovulis et polline refertas conspexerunt, Röper metamorphosin pistilli in stamen observavit. — Hoc ex incidenti ejus sumus opinionis: quemlibet florem rudimenta amborum organorum continere, influentibus vero memoratis circumstantiis unum evolvi aut aliud.

B. *Processus foecundationis.*

Quousque generationis organa perfecte formata non sunt, gemma matre continentur, in cuius sinu vario modo (in determinatis tamen familiis plantarum constante) complectuntur, dum autem illum formationis et vitalitatis gradum, qui eos functionibus eorum exsequendis habiles reddit — *polaritatem* inter se — ad secuti, in florem abeunt, sub cuius explicatione ($\alpha\nu\delta\varepsilon\tau\iota$) sequentem observamus ordinem: *Pepala calycis*, quae sibi contigua jacebant, ab invicem discedunt et reflecuntur; *petala*, quae sibi incumbebant, in corollam abiatura separantur, et partes fructificantes libertati adserunt; eriguntur stamina ac regulari ordine circa pistilla semet collocant ad haec conniventia, quae omnia odorum et caloris altioris evolutione comitantur. Haec phaenomena rapide cum summa virium intensione insequi in *Cacto grandifloro* admiramnr, qui tamen exhausto post horam flore suo suavi tributum ideo persolvit. — Post breviorem aut longiorem moram antherae, turgore vitali ad summum tensae in suturis rumpuntur, et regulari quodam ordine *pollen* in stigma profundunt, cuius granula mox *fovillam* extricant, quae a spongiolis pistillaribus — uti humores terrae per spongiolas radicales avide insugitur, ac per vasculosum Styli contextum ovulo communicatur, quod inde foecundatum evadit. Alii processum galvanicum per contactum pollinis cum stigmatis papillis excitari sinunt, ac per vasa spiralia veluti conductores ad ovula propagari, alii nec his indigent, sed jam aura pollinari contenti sunt, quam a stigmate ut gas carbonicum a foliis absorberi credunt, sique cum gyniro commixtam ovula eum in modum foecundare, ut hoc in ranis, salamandris et piscibus noscimus. — Processus foecundationis ju-

vatur circumstantiis externis, quae universim vegetationem exaltant, praecipue *caloris* et *humiditatis* moderato gradu, nec non aëris libero accessu, quae omnia pollinis extricationi favent. — Quod hic de monoclinis protuli etiam de diclinis valet, quorum femellae per hermaphroditos, quibus non raro inter se gaudent, prouidentur polline, aut hoc per ventos condonantur. — *Tempus* quo et per quod foecundatio absolvitur, variat: *Cactus grandiflorus*, una fere hora, *Convolvulaceae* una die, — *Nyctagineae* et *Silenes* una nocte, quantum hoc ex marcescentia stigmatis et styli dijudicari potest, istum actum consumunt, dum in *Juglande*, *Betula* et *Fago* ad plures extenditnr hebdomades.

Absoluta foecundatione, qua vigente manifestam virium intensionem vidimus, earum languorem intuebimur; organa generantia marcescunt, fugit viridis florum color, corollae corrugantur et siccescunt, tabescunt stamina, marcescit stylus, donec omnia haec morte ad tacta e planta decidant. — Sed in eadem proportione augetur vitalitas in germine; succi, qui partibus periphericis prodigebantur, in illo concentrantur, quo ejus intumescentia efficitur, ovula per humores mucoso-dulces, qui in ovario secernuntur, nutriuntur, increscunt, omnes eorum partes, quorum jam meminimus perficiuntur, sicque in semina mutantur et totum germen in *carpum* s. *fructum* evolvitur. Carpus adhuc crudus, ac viridi signatus cuticula, foliorum in modum aëres in - et exspirare observatur, maturitati ad proximans, sub omnibus circumstantiis oxygenium absorbet, et carbonicum acidum exhalat, quo contribuente ex substantiis phlogisticis — quae in crudis fructibus acerbo aut amaro gustum offendunt — saccharum evolvitur et acida generantur. Memoratu dignum est: eadē ratione, qua oxygenium in parenchymate fructus praevalēt, carbonium et hydrogenium in ejus peripheria exsuperare,

quod amarus et unguinoſus perispermiorum sapor probat. — Tempus maturationis varium est fructibus, ceterum experientia teste nullus ultra duos annos ad perfectionem indiget. — Fructus maturans *tegumento* indiget, quod eum muniat; hoc pariter a planta matre providetur, quae eum mox organo, in quo formabatur, condonat, mox ei e diversis floris partibus vel foliis varia integumenta format, ut id in *capsulis*, *leguminibus*, *siliquis* manifeste intuemur, quae omnia *perispermiorum* nomine veniunt; in quolibet horum *epidermidem* s. *epicarpium*, et cuticulam interiorem, loculos, quibus semina continentur, investientem — *endocarpium* — distinguimus, quae subinde cartilagineam, imo osseam adquirit duritatem, tum *pyrena* audiens; pars parenchymatura inter epi- et endocarpium situata *mesocarpium* dicitur, quae jam majoris, jam minoris crassitieci, excussa, fibrosa, carnea aut succulenta. Spectata perispermiorum substantia: *membranacea*, *ligneaa*, *carnosa* et *succulenta* distinguuntur, quae in innumeris rediguntur formas. — Maturato fructu, vasa materna, quibus nutriebatur, sensim paecluduntur, sicque extra nexum cum planta matre positus, decidit, ut metamorphosin, cui originem debuit, ipse nunc suscipiat; sed et planta mater naturae pro fructificatione exantlata sacrificat, mortem partialem subiens, floribus, foliis et fructu multanda, aut vita penitus exuenda, uti hoc in *annuis*, imo multos per annos vegetantibus, semel vero tantum florentibus (*Musis* et *Palmis*) observandum, dum aliae teste Cel. Humboldt in perpetua quasi juventute flores et fructus ferunt. — Fructuum quoque disseminationi miro providit natura, dum eos peculiaribus hunc in finem instruxit organis; vel opus hoc aliis macrocosmi entibus concredidit: sic in nonnullis plantis semina in perispermiorum elastica dispiciuntur, (uti in *Impatiante noli tangere*, *Balsa-*

mina hortensi, Euphorbiaceis, et Oxalydibus); in aliis alarum ope propagantur, uti pterides Amentacearum; aut pappis plumiformibus, uti in Valerianeis, Synantheris, Dipsaceis, Cyperaceis. Semina leviora venti subinde per notabile spatium ferunt, graviora aqua per longum iter vehit, alia volatilia coeli dissipant, mammalia diducunt v. g. mures; quae tandem homo hac in re faciat quis non noscit!

Theses defendendae.

I.

Botanicae Studium pro Medico pratico summi momenti.

II.

Non dantur morbi intermittentes.

III.

Causam hydropis melius principiis mechanicis, quam dynamicis explicabis.

IV.

Sine Opio et Mercurio nolle esse medicus.

V.

Omnis Medicus sit psychologus.

VI.

Fons floritionis medicinae modernae in Anatomia pathologica quaerendus est.

VII.

Viget in omnibus corporibus nitus conservationis.

VIII.

Prognosis non de aegri, verum de Medici sorte decernit.

IX.

Nullum datur signum morbi pathognomonicum.

X.

Nullum venenum in manu medici.



